



**Antonii Milliei, Lvgdvnensis, E Societate Iesv, Moyses
Viator**

Millieu, Antoine

Lugduni, 1636

III. Septem plagæ aliæ consequentes, Culices, Muscæ, Pestilentia pecoris,
Vlcera, Grando, Locustæ, Tenebræ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69066](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69066)



LIBER TERTIVS.
SEPTEM ALIÆ
PLAGÆ.

I
Plaga ter-
tia, scini-
phes.
Exod. 8.
17.

Vesui
cineri si-
miles.

Culicum
forma.

AT nihil auditis Pharao, visisque mouetur:
Sed magis indurat Marpeso in pectore mentem:
Suspendente Deo Virgam obliuiscitur icibus;
Nec timet instantes erecto verberere plagas.
Ergo iterum iussus percusso puluere Moses
Attollit culicum nimbos, & in aëra spargit.
Ac subito alatas veluti ferat Auster arenas
Eripuere diem: volat atro turbine pestis
In pecudes, hominesque ruens; ceu faucibus Aëta,
Aut volet irati sparsus cinis ore Vesui.
Canescunt leuis longè maria alta fauillis,
Parthenope vicina tremit, tegit omnia puluis,
Squalet ager, squalent obducto sidera vultu:
Pulvereos talis culices rotat aëre turbo.
Nec fas est exire oculis subtilia tela,
Mole adeò nulla sensus corpuscula fallunt,
Effugiuntque aciem; quibus est cutis arida, venter;
Perspicuaq; hyalo penna; tenuissima crura,
Subtilèsque pedum fibra; caua buccinà, rostrum;
Spiculàque, & tremulo molles filamine cauda;
Cornua dant fronti duo Serum è stamine fila.
Vix hostem sentire licet, nisi vellicet aures

Aduolitans,

*Aduolitans, tenuique tuba iam vulnera figat,
 Aut canat, exili stimulanis se ad bella susurro.
 At cum purpureo tumuit iam sanguine venter,
 Et satur, infixam tamen haeret cusfide pelli.
 Hanc pestem Graij cyniphes cognomine dicunt.
 Senserunt Phary infestam: nam cuncta sonora
 Corpora nube premunt, & apertis sensibus intrant;
 Configunt oculos, patulis se naribus abdunt;
 Respirare nefas; adeo spirabile caelum
 Obsedere; simul vita in penetralia lapsi
 Faucibus, agra agitant crebro vitalia flatu.
 In rabiem versa pecudes, fugiuntque, feruntque
 Haerentem dorso, & perfossis pellibus hostem.
 Sulfura vicia alij incendunt; defendere flammis
 Teeta, thorosque parant: alij se involuere lineis
 Rasilibus, duplicemque genis obtendere byssum.
 Omnia iam cecidere Magis molimina frustra,
 Seu quibus has simulent culicum de puluere turmas,
 Seu quibus inuento reprimant medicamine cladem.
 Defecere doli; Geniisque potentior omnes
 Alligat artifices fraudum, subigitque fateri,
 HUNC DIGITUM ESSE DEI, cui nunc sua
 carmina cedant,*

Cui quondam tacitis cessura Oracula Delphis.

*Sic Iannes Pharaona monet, coramque fatetur
 Correptus meliore Deo. Rex, vincimur, inquit,
 Vincimur, & vinci confessa reponimus arma.*

*Tu ne tende dolis ultra: nam tertia plaga haec
 Coelesti est inflata manu: cognosce Tonantem,
 Cede Deo, & totam nolis agnoscere dextram.*

*Illius HIC DIGITUM spectas, sentisque sub ictu.
 Si totam exerat ille manum, Pharos alta iacebit
 Subruta, & euerfis mysteria prodita templis,*

F 2

Irriisque

Infestatio.

Remedia inania.

2
 Viti Magi Dei digito.

84 MOYSES VIATOR.

Serapis
modium
gestabat
capite,
symbolū
frugum,

Irrisique dij, modio vulgante Serapin.

*Da veniam: non sponte meis sic derogo sacris;
Maestas me maior agit. Verba inter anhelat,
Collapso ora tument, & agunt liuentia spumas.*

*Perspicuas satis ambages, neque lucis egentes
Negligit in cacam Pharao demittere mentem:
Rursum igitur Moses ad fluminis obuius undas
Territat à quarto muscas instare flagello.*

3
Musca,
plaga
quarta
denuntia-
tur.

*Abramidum nisi soluis, ait, nunc denique turmas,
Ut vadant quocunque vocat mysteria Numen,
Ecce tibi ad culices maioribus agmina muscis
Omnigena adiuciam, ut stimulis penetrantibus angant
Te, populūque tuum, & falsis pruritibus vrant.
His mihi velitibus placitum proludere bello,
Ut lembus telis: parco grauioribus armis.*

*Tu caue ad extremam ducas certamina pugnam:
Experiēre, miser, belli intolerabile pondus.*

Cras igitur muscarum in te tela omnia mittam.

*Utq; mea coniecta scias hæc spicula dextra,
Nulla per Isacios stridebit musca penates.*

*Nemo hominum, & nullo pecus infestabitur æstrò:
Hoc tam triste tibi properat lux crastina mōstrum.*

*Excepere iocis Proceres tam seria: fallax
Abstulit insanis dextram assentatio mentem.*

*REGIS ad ingenium, & sensus, componitur aula:
Tòtque suis spectare placet miracula damnis,
Crabronūque greges exertis stridere telis.*

4
Cenomy-
ia.
Musca
omnige-
na.

Oceano vix dym exierat Titania lampas,

Albescente die primum, spectantur ad ortus,

Et fractos Solis radios, primūque vaporem

Luminis, immenso muscarum examina tractu,

Dispositæq; acies, Martēque vocantia signa.

Prodigium è speculis Phary mirantur, & horrent

Pallentes,

Pallentes, quò se illa ferat, quibus ingruat oris
 Tempestas. Volat immixtis exercitus Euris:
 Jam propius fractos sonitus audire tubarum
 Incipiunt, petunt castris Ægyptia tellus:
 Tartarei ducunt Genij, stimulosque furentum
 Exacuunt, cogente Deo; Dux Belzebus ipse,
 Myiodem Eleis venerantur Olympica sacris;
 Quem tamen Alcides prohibet Muscarum aris,
 Muscarum Deus ille, rapit media agmina Memphi,
 Et populare Pharam, & largo dat sanguine vesci.
 Haud secus ac inssa faciunt, stridentibus alis
 Insiliunt, & se medios iaculantur in hostes,
 Nunc ultrò, citròque fremunt, nunc recta sonantes,
 Nunc transversa secant spatia, aut glomerantur in
 orbes.

Ol faciunt longè preda, & olentia longè
 Corpora quadrupedum; aut hominum librantur in
 ora,

Spiculaque infigunt membris, & cuspide sugunt.
 Purpureas venis animas, artusque cruentant
 Informes; manat sanies, & tubera surgunt;
 Ulceraque infuso crudescunt foeda veneno.
 Precipuus furor armentis, queis asper asilus
 Incubat, aut stabulis tauros eiecit apertis
 Ardentes, diris terrent mugitibus vrbes,
 Percursantque vias; aut tristia pascua sylvis
 Pertasi, inuadunt fluvios, abruptaque saxa
 Precipites, cornuque solum, strépésque laceffunt,
 Affixas si fortè queant dinellere pestes.

Obnixique fricant truncis liuentia terga,
 Aut cœno, atque vda frustra incrustantur arena:
 Subter enim virus defixo seuit ab œstro.

Exagitat cynomyia canes, ut Syrius ardor;

F 3

Exululant

Psal. 77.
49.

Beelzebub, Muscarum dux, Myiodes.

Sap. 16. 9.
Muscarum morfus, & importunitas.

Pecora infesta.

Caninae.

86 MOYSES VIATOR.

Exululant miserè, aut ringentes vincula mordent.
Crabrones. *Crabronum in Pharios genus irritabile seuit.*
Nec velasse caput iuuat, aut defendere tectos
Veste artus, lapsi in tunicas ardentia figunt
Spicula, vel medio transmittunt stamine rostra.
Remedia inuita. *Reticulis quanquam Pharao conclauia sepsit,*
Et Pelusiacis obtendit limina velis,
Nec circum mensam, & thalamos muscaria cessant
Muscarij flabelliferi. *Officia; importuna tamen se musca per ipsas*
Iniecit lini maculas, regalibus audax
In saltare thoris, paterisque immergere rostra.
Vespa. *Nec vespas unguenta iuuant, neque Hymetia mella,*
Inposita eue dapes mensis, & lancibus aureis.
Sanguinem amant: sitiunt venas; Satrapasque, Du-
cemque
Impudentia. *Circunquaque sonant: nulla est reuerentia vespis;*
Inproba plumosis nec cedit turba flabellis.
Myiodes in clamant Mysta, quo nomine Gray
Pisais soliti muscas arcere palastris,
Quo fugit Herculeo fucorum ignauia templo:
Sed neque Myiodes Mystas, neque Myiagnus audit,
Et Regem, & Satrapas stimulis Myiopes adulant
In pasta, procerumque artus pradantur opimos.
Cantharides in diademate Regis. *Ecce autem cidarim Regis superadstitit asper*
Cantharidum globus, & mitra fastigia carpens,
Cum fremitu illisis immurmurat areus alis.
Inuidia omen. *Hiscunt attoniti Vates, & prodere mussant*
Auguria inuidia ingentis: perterritus ultro
Exterritus Rex dat venia. *Appellat Mosem Pharaon; & Duc protinus, inquit,*
In facidas ad sacra tuos, quocumque vocantur.
Ne tamen Aegypti fines eduxeris extra.
Tota tibi quam lata patet Mareotica tellus.
Ponite ubi placitum vestris solennibus aras;

Sed

Sed prius has nostris Furias excludite regnis.

Nil agis, ô bone Rex; nihil, inquit Legifer Heros:

Ista lege licet nobis; triduum ire iubemur

Ægypto procul, & vastis considerare arenis,

Ne qua sinistra sacros facies obnubilet ignes,

Conturbétque pios ritus, animósque precantum.

Nam, quæ Niliacis non execrabilis aris

Hostia, quam poscunt nostri procumbere ritus?

Vos colitis pecudes aris, vos corniger Apis

Perditus, Inachia furor & lamenta iuuenca

Instituit sacrare boues, cognatâque templis

Armenta accipere, & stabulis accersere Dinos,

Qui debent iugulum Hebrais cum sanguine flammis.

Quis ferat Ægypti Numen ceruice securim

Accipere, & salsas detracto tergo fruges?

Aut vaccas coram Isiacis procumbere phanis?

Ultiores Pharij inuadent sacra, atque ministros,

Euerténtque focos, & Hebræo sanguine spargent.

Aduena formidat populus Busiridis aras.

Da veniam hospitibus, tutos poscentibus ignes.

NAM POPVLIS nulla est vsquam speciosior ira,

Nec scelus, aut vllum magis excusabile crimen,

Quàm quod Relligio, sit quamuis impia, suasit.

Ite, inquit Pharaos, procul; atque à finibus, inquam,

Ite meis: vestrumque mihi sit Numen amicum.

Conciliate Pharo Superos, & tollite muscas.

Amriades contra. Dabitur, Rex magne, quod optas:

Protinus hæc cælum volitans purgabit Erinnyis;

Cras matutino fugient Myiopes ab Euro;

Crabrones cum rore cadent torpentibus alis;

Tu modo promissis maneat, quæ maximus audit

Arbiter; at læsa fidei celer imminet ultor:

Fallentem grauis haud tardo pede pœna sequetur.

Moyse
non acci-
pit con-
ditionem.

Abomi-
nationes
Ægy-
ptiorum.
Exod. 8.
26.

Busiris Æ-
gyptius.

6
Potestas
eundi, sed
non pro-
cul Ægy-
pto.

88 MOYSES VIATOR.

*Exierat Vates aulâ: pulsarat Olympum
Supplicibus votis: stellas Aurora fugabat:*

*Depellū- tur Mu- scz. Muscarum iam nulla sonant toto æthere bella.
Conciderat furor, & stimulis languentibus ira.
Lata Canopæas iam pax erexerat vrbes;
Sed non longa fuit: fidei, nempe, obice rupto*

*Fallit fi- dem Pha- rao. Arma iterum sumēda Deo, duplicandâque Memphi
Prelia, & extremo pugnandum denique ferro.*

*Ergo age, Musa, breui reliquos complectere casus
Circuitu: ne prima mihi iam linea Phœbum
Languentem teneat, primòque in lumine fessum.
Tot superant spatia, & longinquis æquora metis,
Tot scopuli, vastisque Pharan immensus arenis
Ad fontes, Iordani, tuos, & lactea stagna.*

*7 Plaga quinta, pestilētia peco- ris. Quid placida peccastis oues? quid taurus arator?
Quid meruere boues? quid equorum nobile germen?
Tot pecudes casus campis quæ culpa peregit,
Multauique reas? quæ cœli funerat ira?*

*Hoc satis est; meruit Pharaos, populûsque Tyranni
Deditus obsequiis, & sæua exempla sequutus;
Puniūtur Ægyptij in suis. Qui gentem immeritam tot iam labentibus annis
Seruitio domat, & pecudum more arua colentem,
Opprimit, ingenuamque indignis curuat aratris.*

*Bello armantur equi: dominos pecuaria pascunt.
Ergo age, sera Dei Nemesis, ne parce flagello.
Hostile est, quodcunque feris: sic carpitur hostis
Paulatim; Memphisque cadent sic denique vires.
Vulnere equi sternendus eques: vitam eripit hosti
Desolatus ager: bellum profligat egestas.*

*In pecudes igitur lucem non ampliùs vnâ
Deseruit pestis Pharios grassata per agros.
Non vitio cœli, aut afflatis sidere lymphis
Exeritur: teter nec spiritus inficit herbas,*

Nec serpit contage malum; vis ignea cælo
 Ingruit, & tumidis linguas in faucibus angit.
 Sternuntur stabulis pecudes, sternuntur & agris
 Corpora magna boum, & qui luctus Martis, equorum;
 Caprigenum pecus omne perit: cum fortibus vris,
 Frugales etiam, ac faciles ad fræna camelos
 Tisiphone abripuit letho: neque cura medentum
 Ulla iuuat, non Phillirida, non Peonis artes.

Angina
 pecoris.

Nec morbi explorare genus, vel noscere causas
 Fas erat; una dies excluserat artis acumen.

Malum
 sine re-
 medio.

Non tamen ignorare licet, quo Numine læso
 Fæda lues cumulet Pharios tot stragibus agros:
 Nam dirimit Parca ipsa domos, intactaque transit
 Isacidum stabula, & mistis mapalia villis.

Israëlisæ
 cuncti à pe-
 ste.

Explorat Pharaos tanti discrimina casus,
 Atque Hebræa videt stabulis præsepia plenis,
 Et vegetos pratis colludere matribus agnos,
 Securosque errare greges, pecorisque magistros.
 Hoc magis inuidiâ cacatum pectus obarmat
 Seruorum spoliis sperans, prædæque potiri.

8
 Plaga
 sexta de-
 nunciatur.

Talia crudeli secum dum corde volutat,
 Ire videt geminos ad regia limina fratres
 Numinis instinctu, & lucentem accedere flammam
 Interiore foco, mediòque subire camino:
 Tum verò manibus plenis haurire favillas,
 Et cinerem, & rursus tectis exire silentes,
 Libera ubi laxant sese patulo atria cælo,
 Marmoreis altè circum substructa columnis.
 Insequitur Pharaos, & Procures, qui ritus, & unde
 Scire auidi, quæ signa modis incognita miris?
 Porticibus sese longis plebs inuehit ingens.
 In medio Hebræi fratres, puròque sub axe
 Ætheris, intentis stabant ad sidera dextris.

F 5

Tum

90 MOYSES VIATOR.

Contesta-
tio Regis.

Tum Moses : Si iure, inquit, Rex, debita posco,
Et cœlo mandante loquor : si carcere iniquo
Immeritam retines gentem, nec fœdera seruas
Hospitibus, Deus hoc nobis sit pulvere testis,
Hi que fidem faciant cineres, & inhospita fornax
Memphæos, infidisque focis collecta favilla,
Quam bibimus tam longum atra fuligine nigri
Abramidæ; simul hos cineres Phario aère sparsos
Distulerint aura, scabies incognita Memphim
Occupet, atque artus obscœno tubere vexet.

Causa,
fornacum
labor.

9
Plaga sex-
ta, scabies
& ulcera
ex cinere.

Hæc simul, & diros cineres toto aère spargit
Ter, quater : adstantes circum afflaere favilla.
Abripiunt venti fermentum, & pulvere mistum
Niliaco lata rapidi Marcotide disflant.

At cineres fecere iocos, deliria Vatis
Principio, Lymphisque caput duxere sacratum
Et Cereri; sed ubi summos eduxit in artus
Sanguinis accensi salsos vredo vapores;
Tum prurire cutis maculis sparsim aspera rubris
Incipit, atque acri morsu pruriginis unguis
Sollicitat : tunicis humeros, & brachia primum
Motibus alternis agitant, torquentque fricantes
Collaque, pectoraque, & lumbos, & crura pudore
Seposito : neque enim prohibet presentia Regis,
Quin Proceres ipsi, vel coram Principe gestu
Indecores scabiem atrectent, & turpiter ora
Torquentes rugis, lanient immaniter ipsi.
Assurgunt papulae; papulis mox tubera ruptis
In crustas vertere; ardent fœda ulcera membris,
Exutique suis erumpunt pellibus artus
Extantes, laxaque tument sine cortice fibra.
Stare loco nescit scabies, fricat, intremitt, horret :
Intus enim sacer ignis edit : pars plurima currit

Remedia
inania.

Ad

*Ad fontes: alij gelido medicamine succos
Conquirunt lapathum, aut betas; pars unguine pingui
Obducunt artus, olidâque unguuntur amurca:
Percussis alij venis misère cruorem.*

*Fam malè dissimulat Iannes, Mambresque venenum
Artubus ardescens, neque coram Principe possunt
Stare Magi, torquent miseros cruda ulcera Mystas.
Nec melior fortuna ipsos iuuat vlla medentes.*

Magi scabie vexati.

*Ægyptum pariter visu miserabilis omnem
Deformat scabies, & vicia cadauera crusta
Informes texere: Duci stat marmore pectus,
Obduxitque animo crustam Marpesia rupes.*

*Pugnandum est igitur saxis in saxea corda,
Et glacie armanda nubes Aquilonibus atris.
Dicta dies hiemi & ventis, ne fortè procella
Opprimat incautos campis, dum fulgurat æther,
Obliquasque rotant Austri cum grandine flammâs.*

IO
Grando
influea.
Plaga septima.

*Sic quoque tunc inuita Dei ferit ira nocentes,
Premittensque minas sua manult perdere tela,
Quam meritos fontes, quos bruta tonitrua terrent.
Pauci tela cauent; pauci, queis corda Prometheus
Formauit meliore luto: ast Epimethea plures,
Et doctum serò damnis Pharaona sequenti
Neglexere minas; campis armenta relinquunt
Et famulos: ollis supra caput adstitit imber
Saxeus, immissaq; faces, & fulminis ala
Inclusere fugam trepidis: tonat arduus æther;
Tela volant accensa; cauis terra ima remugit:
Dissultant montes; contorquent flamina sylvas:
Tempestas inuisa gelu toto aère nubes
Alligat, elisasque immani grandine frangit,
Præcipitatque: ruunt ex alto ingentia saxa,
Cunctaque mole terunt, homines, armenta, ferasque:
Sylvarum*

Mista igni
grando.

92 MOYSES VIATOR.

Sylvarum laceratur honos : vix tecta colonos
 Protexere ; petunt imis spelaea cauernis ,
 Confusique feris latitant : gemit obruta tellus ,
 Atque altis segetes lapidum conduntur acervis :
 Messibus hæc tritura fuit : spes concidit hordei ,
 Et lino impensi incassum cecidere labores.
 Triticeas fruges seruat vindicta locustis ,
 Si quid hiems in agris serum lapidosa reliquit.
 Tranquillo interea tellus Gessena sereno
 Perfruitur, placidisque videt sata surgere campis.
 Hic sese accusat Pharaos, rursusque precatur
 Eripere arma Deo Mosem, & compescere nubes,
 Telaque Cycloperum Memphim externantia flammis.

Serenitas
 in Gessena.

Oratio
 Mosi potens.

Arma Deus ponit. Puro nitidissima celo
 Reddita lux Phariis : tantum valet ille precando !
 Subtrahit astra polo ; precibusque eadem astra reponit :
 Itaque, reditque dies pluuiis modo turbida nimbis ,
 Et modo purpureo Phœbi purissima vultu.
 Sed mentem auertit Pharaos, lucemque refugit
 Impia nox animi celo, luci que rebellis.
 Instat adhuc Heros monitis Hebræus, & urget.

II
 Pharaos
 fallit.
 Locustæ
 armantur.

Quid cladem extremam, Pharaos, spectare tuorum
 Acceleras ? quoniam usque fidem periuria frangent
 Vestra ? lues vno tandem scelera omnia casu ;
 Quem sero vitasse voles. Cras ecce locustas
 Finibus immittam Phariis, que grandinis omnes
 Reliquias anido ore metant, pubentia farra,
 Lactentes Cereris culmos, vernantia prata
 Fluminis ad ripas, & poma orientia syluis
 Impasta carpent acies, atque omnia rodent.
 In manibus fors ista tuis : tibi consule : fas est :
 Aut solue Isacidæ, aut arrodere locustis.
 Dixit, & attonita fugiens auertitur urbe.

Excipi

Exciti dictis animi, populique, Patrúmque;
 Incessunt tristes cura, tot iam antè probata
 Euentisque, minisque fide; gemitum ampla volutant
 Atria, confuso crebrescunt murmure questus.
 Seditioque metu exoritur; sed liniger iras
 Temperat Antistes Memnon, ac talia fatur.

Seditio-
 nis me-
 tus.

Qua tandem, Pharao, Superos Oracula poscis?
 Aut unde explorata magis cognoscere Fata?
 Tène vides pugnare Deo, & funesta relabi
 In nostrum tua tela caput? quo vulnere, Nilus
 Saucius horrifico visus concrefcere tabo,
 Funereos latè populis induxit amictus.
 Infestámque luem turpes ascendere ranas
 Horruimus, celsasque super se attollere turres,
 Et thalamos foedare tuos, & stertere mensis.
 Quid memorem cyniphum nimbas, queis vindice cælo
 Circeæ cessère artes, victique magistri?
 Crabronum neque dum stimulos benè cura reuulsit:
 Peste iacent armenta: vacant cultoribus agri:
 Nos scabie informes vultus, informia membra
 Ostentamus adhuc: nunc cæmpis cætera grando
 Omnia comminuit saxis: Hebræa propago
 Omnibus his exempta malis, protectaque cæli
 Presidio; nostris numerat sua lucra ruinis,
 Vulneribusque tuis crescit. Quid plura requiris
 Numinis infensi Phariis, te indice, signa?
 Quid struis? aut qua spe? Is acidas nunc denique laxa;
 Nec tibi supremam malis accersere pestem.
 Si tibi nos anima viles, & inutile membrum
 Imperij, solusque potes tua sceptrâ tueri,
 Si regnas soli ipse tibi, tibi consule soli.
 At patriæ si chara salus, requiesque tuorum,
 ET POPVLI clades numeras vt regia damna,

12
 Memnon
 Antistes
 Regē hor-
 tatur.

Populi
 clades.
 Maiesta-
 tis dimi-
 nutio.

Parce

94 MOYSES VIATOR.

*Parce tuis, capitique suo tua protege membra;
Et ne pro famulis Pharios sic obiice letho.*

13

Pharao
dat veniã
viris.

Fœminas,
vulgus, &
pecora
retinet.

*Dixerat: assensu Proceres, populûsque sequenti
Dilapsum reuocant Mosem; commotus & ipse,
Aut iras veritus Procerum, vulgique tumultus,*

*Ecce, inquit Pharao, vobis fit plena potestas,
Ire licet: sacrate focos, incendite thura,
Sortitique Duces onerosum hîc linquite vulgus;
Officeret turba ipsa sacris: nec ducere matres,
Infantumque greges, vulgûsque ignobile promptû est.
Ite virûm delecta manus: pars cætera nobis
Pignus erit vestrae fidei, vel fœderis obses,
Seruabitque domos vestras, armentaque campis.*

Respuit
conditio-
nẽ Moy-
ses.

*Excipit, hæc contra Moses: Hîc sistere quenquam,
Aut residere nefas nobis. Deus imperat omnes
In loca sola procul ariduum penetrare relictã
Ægypto; vacuâsque domos, vacua arua relinquent
Matres, atque viri: nulla hîc retinebitur ætas,
Non sexus, non ordo: dies solennis ad omnes
Pertinet; & senio tardos imponere plaustris,
Carpentisque licet fœtas abducere matres.*

*Quin etiam pecus omne Deus iubet ire solutum,
Cum dominis, pariterque suos se sistere ad ignes,
Ut legat ille sibi iugulos, & munera flammis.
Non vlla pecoris seta, non vngula deerunt.*

*VEL minimam in sacris fraudem Sanctissimus odit,
Et piat, immisã non tardo ex æthere pœnã.*

Ne, Pharao, ne sacrilegos nos iusseris esse.

*Obsidibus nullis opus est: tibi patria tecta,
Et vacuas sedes, plenosque relinquimus agros.*

*Pignus habe sata leta, hominumque, bouumque
labores,*

Et que tam cultis Gessen videt hospita campis.

Hic

Hic Pharaon rursus inuidiam stimulante profatur :

Sic faueat vester vobis Deus iste, dolosi

Artifices, quo more ego vos hac lege relinquam

Ire domo vacua, & vacuis abscedere campis.

Quis dubitet captare fugam hoc molimine seruos?

Arma parare Pharo, & positis secedere castris?

Explorasse suas vires; mox ora rebelles

Versuros, qui terga modo ut fugientia vertant?

Quos ego sic meritos iam nunc absumere ferro

Quid moror? at prestare fidem vel & hostibus ipsis

Regia me fortuna monet: pars altera septis

Desideat; vos ite viri ad solennia soli.

Dixerat: extrusos aula indignante repellunt

Lictorum virgata cohors: pars regia laudant

Consilia; at nimium veros pars plurima Vates:

Sed pressere suos irato Rege timores.

Vix extra muros urbis processerat Heros,

Sic urgente Deo, passis ad sidera palmis

Mempheos assignat fines aestiua locustis,

Et iubet intenta turmatim irrumpere Virga.

Extemplo madidis Auster rapit aera pennis,

Incenditque diem flatu, noctemque sequentem;

Sic conferta fouens nidis humentibus onna

Innumeram educit sobolem obstetricibus alis.

Mox teneros foetus robusta in corpora formans

Educat afflatu, repidisque humoribus auget;

Unde sub Auroram campis numerosa iuuentus

Militiae patiens apparuit: omnibus ora

Rostrata, & similes ferris duplici ordine dentes:

Mobile sub galeis caput alte assurgit acutis;

Cornei, & extantes oculi: prolixior aluus

Desinit in rigidas caudata cuspide falces:

Poplite contento nervosis cruribus omnes

Euibrata

Regis ira
in Moy-
sem.

Moyse
regia ex-
truditur.

14
Plaga
octava a
locustis,
quae im-
mittitur.

Locusta-
rum co-
pia unde,
& quae
causa.

Qui ha-
bitus, &
arma.

96 MOYSES VIATOR.

*Euibrata solo saltu iaculantur in auras
Corpora : Gnosiacis credas exisse sagittas
Arcubus : at subiens pictas Notus adiuuat alas ,
Austrinaq; volant subuecta flatibus aure.*

Pernicies
campis il-
lata.

*Iam segetum nihil est in agris : iam gramina campis
Nulla virent : iam nulla tegunt pomaria frondes ,
Nullaque iam arrosis frondent umbracula syluis.
Tum spoliant libris ramos , virgultaque carpunt
Arida , ut immites baccas hausere vorando.*

Importu-
na ubi-
que , &
conclau-
bus.

*Nil durum, aut immite fami tam tristia monstra
Inueniunt : subeunt tectis , stridentque sonantes
Per thalamos, cellasque omnes , & pabula passim*

*Importuna petunt mensis ; penuraria lustrant
Regia , prægustantque dapes Pharaonis auari.
It clamor cœlo à Phariis : nam funditus omnem
Anni spem periisse vident , sic prolificum ver
Tempestas anidis hausit grassata locustis ,
Et tenera Autumnum lactentem extinxit in herba.*

Auaritiæ
pœna.

*Iniustis gens Isacidum detonsa tributis
Hos Phariis anidos adeò intulit Exactores.
Hic rursus Pharao supplex in vota rebellem
Duritiam accusat frontis , Mosëmque fatigat.*

15
Locustas
Moyse
oratione
fusa fu-
gar.

*Ægypti miserere , inquit , pereuntis , & ito ,
Quò tua te fortuna vocat : sed mortibus istis
Eripe nos ; tum te hinc Superis plaudentibus aufer.
Sustulit ille oculos cœlo , ventumque precatu
Cardine ab occiduo glaciantibus impetrat alis ,
Protinus aërios qui verrens flamine tractus
Radit humum , campisque volans violenter apertis
Ante locustarum turmas , disiectaque flatu
Agmina vertit agens , rubroque sub equore mergit.
Exultant epulis pisces ut ab æthere sparsis :
Respirant paullum Memphitæ , & Taneos arua ;*

Quanquam

Quanquam tristis hiems vernis in mensibus horret,
 Attonditque comas sylvis, & gramina campis.
 At Vates ventura procul sub imagine secla
 Transiliens, videt ut labentibus athere stellis
 Pandantur Furiis portarum adamantina claustra,
 Et Stygio erumpant barathro, puteique profundis
 Faucibus immanes Sanctorum in bella, Locustæ.
 Dira feris facies; dentes, rictusque leonum,
 Ore gerunt: manet humani vix linea vultus
 Ulla super, nisi fœminei per colla capilli,
 Aut torti in cinnos, aut nulla lege fluentes,
 Aurea quos cohibet vittis in fronte corona.
 Loricata omnes ferro; sed subter ad ima
 Illia discinctis tenduntur prodiga lumbis
 Viscera, quæ obliquo substringit acumine cauda
 Scorpius infuso torquens extrema veneno.
 Quadriugos currus, fremitumque imitantur equorum,
 Quos squamatus agit per saxa sonantia miles
 Ere coruscantes, munitosque undique ferro,
 Robur Achamenij Martis. Quæ funera terris
 Monstra inferre parant? neque enim virgulta, vel
 herbas
 Carpere mos illis; sed strage, & sanguine pasci,
 Et torquere malos, & bella intendere Sanctis,
 Instantemque horam perituro indicere mundo.
 Sed scelerum ultrices diras, Regemque Locustam,
 Tartareum Barathro compinget Apollyon imo
 Christus Erythraei Vindex in gurgite Ponti;
 Herefeonque dolos, & vana redarguet arma.
 Tum propè iam suprema dies vasto ingruet orbi.
 Antè sed occasum mundi Titania lampas
 Séque, diemque atris abdet demersa tenebris.
 Vosque, ô tot scelerum testes, astra ignea cœli,

Allegoria
 locustarum
 ex Apo-
 cal. 9.

Locustæ
 Apocal. 9
 quæ, &
 quales.

Crudeli-
 tas locu-
 starum.

Sectato-
 res Anti-
 christi, lo-
 custæ.

Apollyos
 Rex illa-
 rum.

Finis
 mundi.

98 MOYSES VIATOR.

Funereos Sole extincto sumetis amictus.
Tunc erit ater ubique horror palpabilis umbra,
Qualis nunc Pharia facies, & suppara scena;
Ægypti proludit enim pereuntis imago,
Nuntiet ut similes mundo intereunte tenebras.

17

Tenebræ
palpabi-
les, nona
plaga.

His igitur rerum fatis, & funere regnorum
Intentus, miseransque Pharon, sed Numinis ardens
Instinctu, oppansis Moses ad sidera palmis,
Ceu certet prohibere diem, radiisque comantes
Vertere Solis equos, ac retrò flectere cursus,
Euocat ex Erebo tenebras, noctemque malignam,
Tisiphonem, & tristes quali caligine Divas
Facta parit, Manesque reos seuâ implicat umbrâ.

Non fuit
nox fere-
na,

Non illi nitida stellis fulgentibus ala
Ceruleive sinus, non laxo lactea cinctu
Zona, neque in roseis optanda silentia pennis,
Nec somni molles, nec pigra papauera cornu:
Sed preceps, rapidisque ruit turbata procellis,
Horrorisque, & spectra ferens Acherusia somnis.

Nox hor-
rifica.
Vide Sap.
cap. 17.
& 18.

Mox mediam rapit axe diem, & ferrugine fuscatur:
Letheis Pharios nebulis, & carcere nigro
Implicuit; quo quisque loco deprensus, inhaesit
Arctatus vinclis tenebrarum, & compede mortis,
Arrectisque horrore comis; seu fortè viator
Carpit iter notum campis; seu curuus arator
Versat agrum cultu, & glebas exercet inertes;
Sive foro, aut tectis ciues, vel publica cura,
Vel privata tenent studia, improvisa repente
Obnubit caput, atque iisdem vestigia figit
Horrida nox immota locis; gelidoque pauore

Vincula
tenebra-
rum.

Spectra
horrenda
obiecta
Ægyptiis

Concutit ambiguos superentne? an terra debiscens
In cecis Erebi viuos detruserit umbras?

Nam seuæ exterrent facies, & spectra ferarum

Cursantum

Cursantum iuxtà, & passim per tecta vagantum.
 Immanes hydri, & squamosis nexibus angues
 Ore vomunt flammâs, oculisque ardentibus errant,
 Præsentantque reis infesto lumine mortem.
 Aut circum trepidos displosi è nubibus ignes
 Ostendère oculis miserorum informia spectra.
 Nec tamen adstantes cuiquam spectare propinquos,
 Aut notos, nox illa dedit cognoscere vultus:
 Sed grauior tetra in pœnas à sulfure fulsit,
 Obicitque metu maiora pericula veris.
 Frustrâ illi piceas leuia ad solatia tentant
 Perflatis flammare focus in lumina tædas,
 Ad chalybem frustrâ silices fricuère terendo;
 Humidus in medio vapor omnem intercipit ignem,
 Volcanumque suis hebetat nebula vda caminis:
 Tartaream nulla euincunt funalia noctem.
 Heu! quid agant miseri? quæ sese ad Numina vertant?
 Nox eadem Aedituos, simulacrâque surda pudendis
 Damnauit tenebris, precibusque sacraria clausit.
 Senior ex adytis quinimò increbuit horror,
 Exturbante Deo è latebris feralia monstra.
 Cursauère vias Furia, laruisque frementes
 Inuisis subière domos: pars castra sub ipso
 Stipauère foro: pars in regalia tecta
 Inuasère: Magos dira ad ludibria poscunt
 Ante omnes, atque horrendis stridoribus urgent,
 Vipereis scindunt pallentum corpora loris,
 Insultantque iocis: nequicquam Gorgona Iannes,
 Arcanumque imis Numen penetralibus Orci
 Voce vocat; frustrâ Mambres ignota figuris
 Verba iuuans diris extremis deuouet umbras.
 Irrisère preces Furia, fraudumque magistros.
 Sic renocat Deus in primos scelera omnia fontes.

Non vincitur fabricibus.

Timores nocturni Ægyptiorum.

Monstra ferarum per tenebras.

Magi præcipuè vexati.

100 MOYSES VIATOR.

Metu
morru
multi.

Pharao-
nis trepi-
datio.

Satellitū
non iuuat
Regem.

Consciē-
tiaz Furia.

18

Atrocitas
tenebra-
rum.
Imago
Inferorū.

Impuras plerisque animas Cocytius horror
Extorsit rapiente metu : mox impiger haurit
Cerberus, & triplici flammam eructat hiatu
Exultans epulis : percussus luce nefanda
Dirigit visu Pharaonem, pallensque Satelles
Pila manu trepida, ferrumque imbellem remisit.
Complexu Regem Proceres defendere tentant
Palpando; aut cum Rege mori. Stant nexibus arctis
Herentes, obnixè oculis ad fulgura clausis
Expectant, sine astra polo rodeuntia lucem,
Restituant, seu sub pedibus terra ima fatiscens
Et tenebris porrò in tenebras sub Tartara trudat.
SORS EADEM, & similes miseris solatia casus.
Nec minus interea sub anhelato pectore sauit
Conscia lux animi, & Regem, Proceresque flagello
Insequitur, stimuloque, & crudis morsibus angit,
Praesentisque iubet cognosci à Vindice poenas,
Instantesque alias magno cum fœnore plures
Intentas; dilata grauat patientia noxas,
Plenisque in cumulum mensuram exaggerat annis.
Quis cladem illius noctis? quis tristia fata
Enumeret? quae per tenebras errantia monstra?
Exanguésque metus, amentiâque ora timore,
Infantum lacrymas, & fœmineos ululatus;
Defixosque horrore viros ut stantia saxa,
Serpentes inter, formaeque tricornis umbras?
Illa Erebi facies, ille illatibilis horror,
Quo Chaos, & confusa gemunt Acherusia regna,
Quae super eterno nox implicat inuia fumo:
Aeternâ fouet atra palus caligine nubem,
Atra palus Stygis ad Superos innabilis unda,
Impia ubi poenis exercent Tartara fontes.
At super Elysiâs vestit lux aurea sedes,
Limpidaque

Limpidâque innubi labuntur sidera cœlo.

Haud alio gaudet tellus Gessena sereno :

Isacidâs lux alma fouet , stellaq; benigno

Adspersere sibi cognatam lumine gentem.

CLARA dies quocunque ferant vestigia , Sanctos

Anteit , & puro signatur semita Sole ,

Cimmeriis donec tenebris Aegyptius errat

Tres sine Sole dies , & tres sine sidere noctes ,

Eternâque timeret meritò gens impia noctem.

Reddita lux tandem Phariis , & Sole reducto

Purgauere diem nimbi , Manesque sub imos

Aufugiunt larua ; respirant lumine viso

Memphita ; visique cauis exire sepulcris ,

Vix hebetes oculos picea caligine tollunt ;

Circunquaque suos spectant , queruntque timores.

Apparent plerique metu , lethoq; rigentes ,

Stant oculi glacie , rigido stant frigore membra ;

Nec miseros lugere vacat ; neque enim hora querelis ,

Donec adhuc sibi quisque timet , refugitque sequentem

Vindictam , cuneos dextra , plumbumque ferentem.

Leniadas Pharaos fratres expectat in aula

Impatiens. Illic veterum monumenta parentum

Parietibus sculptis aurato in marmore viuunt

Dedalea rarum artis opus : longo ordine Reges

Mempheos , & viuis animata coloribus acta.

Hic atanus Pharaos stratis effultus eburneis

Porrigitur somno : circum nox humida lecto

Obtendit nitidas pepli in ferrugine stellas ,

Lentâque somnifero deurgit nubila cornu.

E cœlo allabens ad puluinaria Morpheus

Veridicas fingit contacto vertice formas ;

Insculpsitque animo Regis , seriémque , locosque ,

Atque habitus rerum , verasque sine aere voces.

Prou. 4.
18.

19
Dies red-
dita.

Vocantur
Moyfes,
& Aron.

20
Aula re-
gia.

Somnia
Pharao-
nis.

G 3

Turbidus,

102 MOYSES VIATOR.

Nilus. *Turbidus, ac nigris Nilus iuxta influit undis,
Et super herbosos stagnat leni agmine fines.*

Vacca septem pingues. *Pascuntur septem præstanti corpore vacca,
Ubera queis largo turgent undantia lacte,
Arvina, nimiaque graues pinguedine sudant:
Pascuntur tamen, & ripis in pinguibus errant.
Mox fluminis linquens repetito gurgite ripas
Conditur, & siccis languens inserpit arenis.*

Vacca septem macilentæ. *Ponè alia totidem, sine succo, & sanguine vacca
Hirsuta, & tetra macrentes tabe sequuntur.
Ubera lacte vacant: oculis conduntur abactis
Ora, sub incuruis deiecta cornibus aures,
Ossaque strigosum fodiunt extantia tergo:
Lurida ventre famas, avidisque in faucibus heret:
Dente metunt herbas, & prata virentia carpunt:
Sufficiunt nulla attonsis iam pabula pratis:
Arent fluminea vulsis radicibus ora,
Arescunt latè circum Mareotida terra.
Ergo ubi iam exhaustis defecit copia campis,
Dentibus inuadunt saturas diro omine vaccas,
Et speciem egregiam informes hausere priorum.*

Spica septem latissima. *Parte alia septem ad specimen memorabile spicas
Fecerat artificis manus vno exurgere culmo;
Nutantes flauente auro curuarat aristas:
Aurea triticeam contexit bractea frugem:
Nodantur calami electro, mollique rigentes
Assurgunt auro tunica: barbam aurea sepes
Asperat, & vallis volucres defendit acutis.*

Spica septem adusta. *Iuxtà alia totidem spica nascuntur ab vno
Cespite deformes siliqua, paleaque sonantes.
Infaustam lolio segetem, robigine fœda
Adpersit Morpheus, fumoque afflanit aristas,
Et cinere, & nigra culmos vredine tinxit.*

Ista

Ista etiam liuore suo lasere priores,
Et latas segetes contactu exedit auena.

Nec procul hinc folio curis ingentibus ager
Regnator sedet Aegypti: praesagia somni
Vestigant circum Vates; sed somnia fingunt:
Nam tripodas Phœbus negat, atque Trophonius
antrum.

Scire nefas arcana Dei; neque sortibus ullis
Consilium caeleste patet. Sublime putrescit
Infelix somno suspensus in arbore Pistor.
Augurio ingratus longum post tempus iniquam
Accusat Pincerna fidem, laudatque sagacem
Hebraeum in Fato iuuenem. Sapientia tandem
Ipsa suos pandit Iosepho interprete sensus.
Rex iubet extemplo vinclis, & carcere solui,
Attonsumque comas, Tyriaque in veste nitentem
Apparere sibi, Sphingisque exsoluere nodos:
Extrahitur vinclis; diu auget Gratia formam,
Abstergitque situm membris, redditque nitorem.
Mirantur ciues habitus, & frontis honorem;
Conciliat Virtus animos, lumenque iuuenta,
Maestas innata oculis, captiuat amorem.
Ille tenet dictis aures, & pectora flectit,
Fortunam euoluens Regis, Superosque fauentes
Aegypto; cuius rumpent mox horrea messes,
Exhaustasque fame recreabit copia terras.
Inssu igitur Regis laxantur in horrea passim
Villarum spatia, & condendis frugibus ades.
Coniecto tantorum operum, & certissimus augur
Praeficitur Phariis, cui Res sit publica cura:
Regius inseritur digito annulus; omnis in unam
Cervicem regni moles imposta recumbit.
Altior inuidia est fidei munimine cernix;

21
Pharao;
querit
somnia;
Interpre-
tem.

Pistor re-
gius in
patibulo.

Pincerna
immemor
Iosephi.

Iosephi &
carcere e-
ductus.

Iosephi
mirabilis
species.

Somnia
edisserit.

Praefetu-
ra Aegy-
pti, & ho-
nores.

104 MOYSES VIATOR.

Curarumque capax tantarum sustinet una;
Et vacat; & superest ad plura negotia pectus.

Ille PATER REGIS, PATER idem PUBLICVS audit;

Iosephi
virtus, &
merita.

Ac tandem Pharias curru vectante per vrbes
Iactatum nomen MVNDI SERVATOR honestat.
Hic vir, hic est fratrum, & populi IOSEPHVS
amator,

Moribus incanis primo maturus in aeuo,
Quem Pietas, sanctoque sinu Prudentia finxit

Pfal. 104.
22.

Principibus Phariis Censorem, equique Magistrum,
Quem duodena colunt incuruis Astra maniplis:

Cui pater, & genitrix, totque illa ab origine Reges

Ad Hebr.
11.22.

Summisere genu proni ad FASTIGIA sceptri.

Attonitæ è thalamis matres, teneraq; puella

Gen. 49.
22.

Occurrere super muros, passimque fenestris

Pendentes formæ eximium mirantur honorem,
Quam iubare, & casto tutatur sidere Virtus.

Ille oculis Pharao, & Proceres antiqua legebant

Facta Patrum: sed nil illos tam clara remordet

Gratia, nec benefacta mouent; seu marmora norunt;

Et meminere viri; siue illis nomen, & acta

Ingrata
posteritas.

Iosephi cecidere animis, & sancta vetustas.

MVNERIBVS gaudet Patrum, fruiturque repertis
Posteritas; ingrata terit famamque, decusque.

22

Moyfes
inuidia &
odii maior.

Huc simul Isacidum columnen gressum intulit Heros

Maiestate animos cunctorum aduertit, & ora

In se vnum: Deus insigni iam luce coronat

Sidereos Vatis vultus, frontemque serenam.

Iamque odii maior, Regisque excelsior irâ

Apparet populo: factisque ingentibus illum

Iam circumstat honos, fideque tuentur amores.

Vix oculos contrâ attollens Rex talia fatur.

Hac igitur vestra est pietas? hoc Numen adorat

Relligio,

Religio, tanta Mundi cui strage litatur?
 Sanguine placatis Superos, Orbisque ruina?
 Nec vos hospitium toties Aegyptus amicis,
 Quae veteres excepit auos, iam patria tellus
 Abramidis, mixtique lares; nec pascua Gessen,
 Iam quater & decies denos habitata per annos,
 Deliciaeque Phari, & placidi clementia caeli
 Dedocuerunt feros mores? aut legibus ullis
 Barbariem potuerunt animis depellere vestris,
 Nec firmare fidem sociati in foedera regni?
 Sed quid ego queror ingratos? Ipsa hospita Memphis,
 Ipsa Pharos caussanda mihi, quae prima Penates,
 Prima sinus pandit miserans, gremioque recepit
 Extorremque, inopemque, famisque extrema ti-
 mentem,

Pharaon
 iratus ob-
 iicit Moy-
 si crudeli-
 tatem.

Vipeream Isacida sobolem, blandaeque refouit.
 Nunc luimus meriti poenas: nunc illa sub auras
 Visceribus patria ruptis exire laborat.

Ite igitur, Patria pestes: absoluite tandem,
 Meaque, meosque metu: satis heu! iam nona, su-
 perque

Dat veniam
 abeundi.

Sensimus excidia, & vastis superauimus agris.
 Mens meminisse horret. Sexus licet omnis, & aetas,
 Quo placitum est abeant, tantum hic armenta
 manento,

Lanigerique greges; stabulis pecora omnia restent.
 Haecenus exhaustum satis est pecorumque, hominumque,
 Inuidia, vestrique odij crudelibus aris.

Pecora
 retinet.

Sic ait: impietas animum, furor, iraque cacant,
 Infrantemque acuunt linguam, sed vincula terror
 Iniicit, & maior metuenda in Mose potestas,
 Erubescere ipsi indigna ad conuitia cines;
 Quae contra placido Vates sic restitit ore.

106 MOYSES VIATOR.

23
Moyſes
cauſā ma-
lorum re-
iicit in
Regem.

Nos quoque, ſi qua uſquā ſenſus præcordia ſeruant
Humanos, aut mortales miſeratio tangit,
Ægypti affligunt clades, veſtrōque dolore
Percuſſi ingemimus: quis enim dum proxima flamma
Tecta vorant, tuto declinet lumina ſomno,
Nec properet feſtinus aquas? ſors vnius omnes
Admonet; ac ſaltem lacrymæ funduntur in ignes
Vicinos. Sed da veniam, Rex optime, Vati
Veridico: nullum, niſi te, in tot caſibus iſtis
Accuſare potes; verōque incredula corda.
Intonuit Deus ante faces, neque fulmina cœlo
Torſit in incautos: monuit, voluitque caueri
Tela manu lenta, multiſque minantia monſtris.
INVITVS nihil ille magis, quàm fulmina mittit
Certa manu; mallētque minis conſumere flammæ.
At vos ille meus poterat defendere ſerpens,
Qui magicos angues, & ludicra monſtra reſellit:
Aut ſi clara magis monſtra explorare placebat,
Poſt fluuij exauſtos latices, tabemque cruentam;
Poſt ranarum acies, & ineluctabile robur,
Quo culices pepulère Magos agnoſcere dextram
Ultricem, DIGITOQUE Dei ſuccumbere victos;
Tum decuit firmare fidem tot teſtibus armis,
Obſequioque humili victoris iuſſa ſubire;
Accipere imperium facile, & ſinere ire ſolutos
Iſacidæ, pacemque tuis expoſcere regnis.
Quod facinus quiſquam hîc noſtrum cauſetur?
abundè
Abſoluit nos illa manus, que damnat iniqua,
Queis ſtirpem Iſaciam tam longum vincla coërces.
Ne verò ingratis tentes impingere nomen
Hoſpitibus, decerne priùs, quibus illa bono ſint
Hoſpitia: etſi diſſimulas, muta iſta loquuntur
M armora,

Ingrati
crimen
amolitur.

Marmora, & hi lapides, monumentaque fida tuorum
 Parietibus calata istis; ea crimina clara
 Expungunt voce, & nomen, crimenque retorquent
 In Pharios. Vident, ut curru sublimis, & ostro
 Conspicuus, regni iuuenis moderetur habenas,
 ÆGYPTI, MVNDIQVE SALVS? Rex Mempheos ipse
 Incidit titulos, puroque intexuit auro.
 Nobilitas nostra inde cluit: nolisne, velisne,
 Hinc tibi tot benefacta manent; nec fama tacebit,
 Inuidiâ quamuis nunc ista etate laboret.
 Nec verò nos pœniteat virtutis auita,
 Neu cuiquam improperem, nostrorum munera auorum,
 Quæ populis illi constare aterna volebant,
 Cum gererent: sed crimen atrox, noménque pudédum
 Ingenuæ horrescunt mentes, & larga voluntas
 Publica in obsequia, & patriæ communis amorem.
 At, si nomen auis, & facta illustria deessent,
 Non adeò indecores hæc deteriora tulerunt
 Sacula, nil Phariis ut possim ostendere pensi.
 Isacidum constant manibus tot Taneos arces,
 Ramesses, Phitónque: fluit tot sparsus ubique
 Tramitibus Nilus, tot terras alluit alueis:
 Et tot culta nitent manibus cerealia nostris.
 Adde tot ingenij egregios, artisque labores,
 Pyramidas, sacrisque notis inscripta trophæa.
 Quare dein tantorum operum, quæ reddita merces?
 Hic leges Amenophis erunt, scita effera Regis;
 Quæis iubet Hebraeos infantes flumine mergi,
 Aut obstetricum nascentes pollice rumpi.
 Haud equidem mea facta queror: Deus ipse pepercit
 Exposito, qui me voluit succedere ripæ
 Carecto, inque alios natum seruare labores,
 Ingratosque videre dies. Me regia Merris

24

Hebræi
 nō inuti-
 les, aut
 graues
 Ægypto.

Opera ab
 illis, &
 ornamen-
 ta.

Artes va-
 riæ, pyra-
 mides,
 obelisci.

Ameno-
 phis cru-
 delitas.

Filia

108 MOYSES VIATOR.

Filia Niliacis innantem sustulit undis

Orus mi-
tior.

*Consilio famulata Dei : post mitior Orus
Successit regnis, infandaque scita refixit :
Fornacum tamen haud leuior mox poena sequuta est ,
Et lateres , atque assidui sub Sole labores ,
Verberaque , & fidei in duris constantia rebus.*

Hac bene apud memores operis stat gratia nostri :

Venimus huc tandem fessi : nunc sera reuisit

Libertas. Nihil hinc pecoris, Rex optime, nostri

Excipias ; nihil hinc adimas : pecora omnia pergent

Pecora
abducenda
omnia.

Nobiscum. Repeto clare : nulla unguia deerit

Tot gregibus , deerunt nulla de vellere lana.

Cuncta Deus iubet educi , & sibi sistere ad aras.

Dicentem Pharao dudum toruo ore tuetur :

25
Iratu
Pharao
mortem
minatur
Moyfi.

Indignatur enim regeri in caput unius omnem

Inuidiam : tum sic incenso pectore fatur.

Nunc teneo fraudum artificem, scelerisque parati

Perspicue patuere doli : tibi, transfuga regni,

Non satis est fugisse semel caso hospite poenas ?

Solicitas etiam socios ; & rursus adornas

Corrupta cum plebe fugam ? nec proditor vno

Contentus scelere , & campos meditaris heriles ,

Et spoliare domos , vacuamque relinquere Memphim ?

I, scelus , & nostro te hinc ocyus eripe ferro ,

Ne commissa luas simul omnia ; nam tibi Nilus

Longè erit, Halcyonumque dies , & scirpea summas,

Thermuta miserante , natans fiscella per undas.

Naufragium patière solo : neque Naiades vlla,

Aut vlla eripiet Neptuni fuscina fundo.

Qua te cunque die huc referes , morière ; nec ultra ,

26
Plaga de-
cima de-
nunciatur.

Si sapis , obtutus nostros turbare memento.

Dixerat : auersum Moses sic voce moratur.

Esto, inquit, tibi fixa tuo sententia voto.

Et

Et moriar, si quando pedem in tua limina deinceps
 Intulero; neque me Pharao conspexerit ultra;
 Non illum videam incolumis, vivusque videntem.
 Antè tamen quàm te supremâ voce salutem,
 Supremum tibi quod Numen denuntiat, audi,
 Et memor esto, nihil vani hîc tibi fingere Vatem:
 Expertus mea scire potes vera omnia dicta.
 Ecce, inquit Deus omnipotens, cum vertice cœli
 Nox medio librata suas dimiserit horas,
 Componētque hominum tranquilla silentia curas,
 Et placidis soluent somnis mortalia corda,
 Ægyptum ingrediar Index, & vindice ferro
 Distringam Pharios flores, capita alta domorum,
 Primigenas hominum, & pecudum. Mihi cædis ab ipso
 Principium Pharaone, patri qui regius heres
 Fortunam expectat natali ex ordine regni.
 Inde ego per Procerum pernix, populique penates,
 Plebeiosque Lares sequar ima ergastula ferro;
 Et stabula, & caulas: finis mihi prima metendi
 Pignora, postrema soboles lectissima serua,
 Quam lassat mola contentis detrusa lacertis.
 Primigenæ euadent nulli: tum dirus ubique
 Clamor: cuique suum mox lamentabile funus
 Ostendet, sed sera dies: tunc protinùs isti
 Descendent ad me Satrapa; meque ipse rogabis
 Maturare fugam supplex, fastuque remisso
 Curuabit tunc Aula genu Mosique, Deoque.
 SERA NIMIS SEMPER stolidis mēs seria venit.
 Ergo vale, & sanam tandem, Pharao, indue mentem.
 Dixit, & attonitos Proceres, Regemque refugit.

Cædes
 primoge-
 nitorum.